



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. III. Bellum esse licitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

finis, & ad bellum tamen aspirant. Olim sacramenti fugiendi causa in ergastulis latitabant, pollices sibi præscindebant, alias effugiendi occasiones quærebant. Nunc sponte accurrunt, quos desperatio, aut cupido licentiæ domi manere non sinit. Hinc aliud etiam & triste malum nascitur, ut bella optent, ingrata sit quies. Maleuolæ suspitionis est carmen Philemonis Comici, sed in bello verum.

Οὐτε γὰρ ἰατρός, οὐδὲ εἰς, ἀν' εὐ σκοπῆς,
Τὸς ἀντὶς αὐτῶν βάλει δ' ὀφθαλμοὺς φίλους.

Οὐτε ἑρμηνεύς, πάλιν ὁρᾷν εἶρε καὶ.

Neque enim medicus vilius, si bene rem consideres, amicos suos bene valere peroptat, nec miles suam sine malo ciuitatem videre. Cupido porro belli eos tenet, quia aliam vitam honestè degendæ attem non didicerunt. Hinc Italorum prouerbio iactatur. Bellum fures ferere, quos pax gladio demet, & laqueo. Nam reuera otio, luxuria, crudelitati omnino dediti, ad latrocinia, furtaque veruntur. Horum malorum causa est, nostræ militiæ corruptio, olim ea erat disciplina militiæ, ut arma ponere vehementer miles optaret, vacationem maximi loco beneficii acciperet, ad agros redirent, etiam consulares, & triumphales, atque adeo bene secum veterani putabant agi, si ab solutis stipendiis agri darentur: nunc multi omnia in arte militari collocant, itaque atque retinent, ac si cum bello vita quoque abrumperenda sit. Nihil magis cauendum est regibus, quam ne his de suscipiendo bello consiliarijs vtantur: animos enim illorum tumultu, & vana spe implent, non alio fine, quam ut necessitate urgente, rebus ipsi admoueantur. Id sane contingit, ut vbi diuturna militiæ est, pauci Tribuni ac manipulares maximis imperijs sint potentiores. Prætoriani milites Romæ, pars quota, non dico totius imperij, sed vnius vrbs, quoties imperatores fecerunt, & factos occiderunt itaque cum bellum est, res domi incertæ sunt, foris afflictæ.

CAPVT III.

Bellum esse licitum.

Bellum licitum. §. 1. **V**etus illa disputatio est, non quidem an omnino genere bellum liceat, sed an Christianis licitum sit: ita enim Iulianus Apostata per derisum exprobrabat, aliam danti dandam & alteram maxillam, non igitur bello vindicandum. Manichæi etiam omnino bellum vetabant, quos refutat S. Augustinus libr. 22. contra Faustum Manichæum c. 74. Nec bellum per Moysen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina secutus imperia, non sciens, sed obediens fuit: nec Deus cum iubebat ista, sciebat, sed digna dignis retribuere, dignosque terrebatur. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque moriuri, ut dementur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, viciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quæ plerumque ut etiam iure puniantur aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, ubi eos, vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuste ordo ipse constringit. Alioquin Ioannes, cum ad eum baptizandi milites veniret, dicebat: Et nos quid faciemus? responderet eis, arma abiciite, militiam & iam deserite, neminem percutite, vulnere, prostermite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas sed ministros legis, & non vltres iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: respondit eis, Neminem concusseritis, nulli calumniā feceritis: sufficit vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichæi Ioannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum IESVM CHRISTVM audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi.

Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii veni & venit: & seruo meo fac hoc & facit: fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit.

Wicleffus eiusdem erroris infimulatur à Thoma Waldensi; Cornelius Agrippa archimagus in eadem opinione fuit. Et Erasmus. Lutherus affectu & impotentia iracundiæ rem iudicauit. contra Turcas geri bellum vetuit, quod esset ipse flagellum Dei, contra Pontificem & Catholicos iussit, & ut bellaretur, effecit.

§. 2. Bellum natura sua non esse illicitum, neque à Deo vetitum, tota vetus scriptura docet. Abraham Gen. 17. bello vicit Reges victores; Moses, & Iosue Chananeam belli iure occuparunt, quamuis enim eam terram illis donasset Deus, armis tamen obtineri voluit. Imo belli leges quoque dictauit. Num. 10. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangentis vltantibus tubis & erit recordatio vestri coram Domino DEO vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Et capit. 21. 14. citatur liber bellorum domini, quæ sine dubio sunt gesta probante Domino. & Deuteronom. 20. 1. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem quam tu habeas aduersarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus DEVS tuus tecum est: qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem iam prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum. Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: Quia Dominus DEVS vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo qui adificauit domum nouam &c. & post pauca. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos preparabit. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offores ei primam pacem. si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem sedes inire noluerit, & coperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus DEVS illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii absque mulieribus & infantibus, iumentis & ceteris, quæ in ciuitate sunt. Omnem prædam exercitus diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi &c. Libri quoque Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Machabæorum pleni sunt historia bellorum. Et Hebræor. 11. Apostolus ait. Sanctos per fidem vicisse regna, fortes fuisse in bello Ioannes quoque Baptista, non vetuit militare, nec CHRISTVS, nec Petrus centuriones sacramento soluerunt. Bellandi enim licentiam à Deo datam agnouerunt. Centurionis sane preces, & elemosynæ ascenderunt ante Deum, & habuit ille quoque milites timentes DEVM. Fuere quoque olim in bellis Christiani milites. Legio fulminatrix notissima est, quæ imbre impetrato exercitum seruauit, & Thebæorum, quæ martyrium sæpius decimata pettulit. Tertullian. apolog. cap. 42. Christianos cum gentibus vna militare tradit. Quid vero ipse sentiat, non omnino liquet, constat enim sui temporis militiam sub Ethnicis imperatoribus, idololatriæ connexam improbasse. L. de corona militis, capit. vñdecimo. Etenim ut ipsam coronam militaris aggrediar, puro prius conquirendam, an in totum Christianis militiæ conueniat. Quale est alioquin de accideribus retractare, cum à præcedentibus culpa sit: Creditur

Deus bellum licitum approbavit, & sancti gesserunt.

Christus bella probauit.

musne humanum sacramentum diuino superdici licere? & in alium Dominum, respondere post Christum & iterare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari & post Deum diligere precepit? Hos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honorabit. Licebit in gladio conuersari Domino pronunciantes: gladio periturum, qui gladio fuerit usus? Et proelio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet? Et vincula & carcerem, & tormenta, supplicia administrabit, nec suarum ultor iniuriarum? Iam & stationes, aut alii magis faciet quam Christo? aut & dominico die quando nec Christo? Et excubabit pro templis quibus renuntiavit? & conabit illic ubi Apostolo non placet? Et quos interdum exorcismus fugauit, noctibus defensabit, incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoque portabit amulum Christi? & signum postulat à principe, qui iam à Deo accepit? Mortuus etiam tuba inquietabitur aneatoris, qui excitari à tuba Angelis expectat? Et cremabitur ex disciplina Castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circumspici possunt Castrensum munium, transgressionem interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. Plane si quos militia prauectos fides posterior inuenit, alia conditio est, ut illorum quos Ioannes admittere ad lauacrum; ut centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat: dum tamen suscepta fide atque signata aut deferendum statim sit, ut multis actum, aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur, quo nec ex malitia committantur; aut nouissime perpetiendum pro Deo, quod aequae fides pagana condixit. Nec enim delictorum impunitatem, ut martyriorum immunitatem militia promittet. Nusquam Christianus aliud est. Vnum Euangelium & idem Iesus: negaturus omnem negatorem, & confessorus omnem confessorem Dei; & saluam facturus animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucrum habitam. Apud hunc tam miles est, paganus fidelis, quam paganus est, miles infidelis. Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandū, & directo negandum, necessitate quis premittitur tormentorum siue penarum: tamen nec illi necessitati disciplina conueniet: quia potior est necessitas timende negationis & obeundi martyrii, quā euadende passionis & implendi officii. Ceterum subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, ut etiam voluntariis delictis subulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas cōtendi, habens, scilicet, unde cogatur. Vel ipse hac prastruxerim & cetera officialium coronarum causas, quibus familiarissima ista ducatio, necessitatis: cum idcirco aut officia fugienda sint, ne in delicta incidamus, aut & martyria toleranda sint, ut officia rumpamus. De prima specie questionis etiam militia ipsius illicita, plura non faciunt, ut secunda reddatur. Nisi omni ope expulso militiā, frustra iam de corona militari prouocari. Puta denique licere militiam vsque ad causam coronae.

Eadem sentit de idololatria c. 19. At nunc de isto quaeritur, an fidelis ad militiam conuerti possit, & an militia ad fidem admitti etiam caligata vel inferior quoque, cui non sit necessitas immolationum vel capitalium iudiciorum. Non conuenit sacramento diuino & humano, signo Christi & signo Diaboli, castris lucis & castris tenebrarum: non potest una anima duobus deberi, Deo & Caesari. Et virgam portauit Moyses, subulam & Aaron: cingitur loro & Ioannes, agmen agit & Iesus. Naue, bellauit & populus, si placet ludere. Quomodo autem bellabit, imo quomodo etiam in pace militabit, sine gladio, quem Dominus absulit? Nam & si adierant milites ad Ioannem, & formam obseruationis acceperant, sit etiam centurio crediderat; omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit, nullus habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus.

Doctissimus Pammilius Tertullianum arbitratur militiam non penitus, sed quia sine idololatria vix erat, reieuisse, non enim commilitones Christianos,

sed coronae impositionem reprehendit. Verum fuerit ille error etiam Tertulliani. Nobis certa ratione constat militiam ex se legitimam, & honestam, periculofam tamen, & ut plurimum corruptricem morum. Nihil Ceterioni, cuius fidei nulla pars fides erat in Israel, militia nocuit. In sanctis Ecclesia recenset Alexandrum, Theodorum, Mercurium, Florianum, Quirinum, Victorem, Ferreolum, Romanum, Iulianum, Modestum, Georgium, Exuperium, Anastasium, Gallicanum, Marcellum, Carolum Magnum, Arsacium, Ludouicum Regem, Vitalem, Vrsulum, Longinum, Marcellum, Nicostratum. Deinde legiones integras, aut cohortes, ut Achatij, Mauritij, Gereonis, Castuli, Cyronis, Gregorij, & Mauri, Theodosij, Callistrati, aliorumque, qui ita milites fuerunt, ut tamen insigni laude pietatis, & martyrij floruerint.

§. 3. Si quis serio atque ex animo omne bellum improbet, eum ego non haereticum modo, sed Reipublicae proditorem esse iudico; quorum primum ad Theologos, alterum ad Magistratū pertinet. Cum n. belluæ omnes infirma sua norint, & qua ratione hosti ire obuiau possint, cum nos quoque, aduersus Leones, & Tygres armemur, natura quoque nobis insueuerit defendendi vitam, hostesque repellendi quendam impetum, sine quo vita degi non potest. negari non potest, quin aduersum latronem, furem, adulterum, sit iusta defensio. Neque fides, neque vlla lex diuina naturale ius tulit. Sed defensionem ut contra serpentem, contra scorpionem, contra alias beluas, ita contra impios latrones permittit. Peiores enim illi sunt, qui malitia & cupiditate, quam qui natura ad iniuriam feruntur. Si igitur Dauid contra Vrsulum & Leonem insurgere licuit, eosque discerpere, cur non etiam funda Goliath frontem pertudat, cum ille velut canis mortuus maledicat agminibus Dei uiuentis? Quod si vnicuique priuato contra iniustam vim repugnandi potestas datur, multo magis principii illi conuenit, cuius officium est subditorum defensio. Quis parens non affligit animum filio insidiantem? Quis pastor non eruit ouem de ore lupi? & Princeps ciuitatem non defendet, cui hostis barbarus, infortunatus, in corpora, auaritia, libidine, crudelitate grassaturus imminet? Bella igitur sunt suscipienda, ut sine iniuria in pace viuamus. Non modo honestum est, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur; hanc legem beluis natura, mos gentibus, ratio prudentibus, necessitas omnibus imposuit.

§. 4. In Republ. igitur & belli, & pacis ratio constare debet. Oportet, ait Arist. l. 7. cap. 14. negotia quidem & bella gerere posse; sed magis agere pacem, atque ociari posse. & rerum quidem necessariorum, & vitium sed magis honestarum habere facultatem agendi. Cetera itaque in principe dissimulari possunt, sed ducem esse imperatoria est virtus. Nulla Respublica perferre potest, nisi quae militarem artem excolit. Nam cum magna cupiditate ad aliena rapienda feruntur homines, ubi obstaculum non vident, eo ruunt. Si igitur princeps bellicosus non est, aut duces ignauos habet, hoc ipso bellum expectet. Impetum enim facient, ut Danitæ in Laïam, alij in alios.

§. 5. Vbi igitur mandata saluatoris de altera maxilla porrigenda? Matt. 5. ubi lex Apostoli Rom. 12. Non vos defendentes, sed date locum ira. & Matth. 26. Conuertere gladium tuum in locum suum. Nonne Deus ipse dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam? Si igitur ultio prohibetur, si iniuriarum patientia imperatur, non potest à Christiano bellum geri. Respondeo. Hicce olim Gentiles abusos esse, ut dicerent: Christianam fidem Reipublicae perniciosam esse. Ita vir Illustris Venustanus apud Marcellinum, ut est in Epist. 4. Augusti. Tum deinde quæ eius prædicatio, atque doctrina Reip. moribus nulla ex parte conueniat: ut potest fieri à multis dicitur, cuius hoc constat

Ius natura
contra ho-
stiles defen-
sionem per-
mittit.

Respublica
inermis
præda est.

Mansuetudo
Christiana
bello non
repugnat.

conset praeceptum, vixnulli malum pro malo reddere debeamus, & percutienti aliam praeberet maxillam, & pallium dare persistenti tunica tollere, & cum eo qui nos angariare voluerit, ire debere spacio itineris duplicato: quae omnia Reipublice moribus asserit esse contraria: Nam quis tolli sibi ab hoste aliquid patitur, vel Romanae provinciae depredatori non mala velit belli iure reponere: & cetera quae dici ad rem posse, intelligat venerabilitas tua. Respondet S. Augustinus. Epist. 5. Primo quidem; Reipubl. vtilem esse clementiam, quā inimicis ignoscitur, sic enim ex parua & inopi magnam esse faciam, & opulentiam, quod citius accepta injuria ignoscere, quam persequi maluerunt. Cicero quoque; Caesari adulatū dixisse, cum nihil obliuisci, nisi injurias solere. Secundo. Vincendum in bono malum cum ad penitentiam deducitur victus, non viribus saeuientis, sed benevolentia patientis. Itaque faciendum, cum videtur ei, p̄futuū, propter quem fit, idque eo animo faciendum, etsi alius exitus sequatur. Tertio. Curandum, ne vindictae cupiditate auferatur patientia, quae melior est omni eo, quod iniurio potest auferre inimicus. Quarto. Illa praecepta magis ad preparationem cordis, quae intus est, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus. Addit nec Christum praeuisse alteram, nec Paulum, sed insuper increpauit iniquum iudicem. Sunt ergo ista praecepta patientiae semper in cordis preparatione retinenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda. Ne verò putes Augustinum sophistice benevolentiam in voluntate, in opere verò crudelitatem probare. Clarissime ostendit manente patientia, sine cupiditate vindictae, imò preparatione patiendi cum benevolentia corrigi alios posse, & bella geri. Agenda sunt, inquit, autem multarum cum iniuriis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius utilitati consulendum est, quam voluntati, quod in Principe ciuitatis luculentissime illorum litera laudauerunt. Nam in corripiendo filio quam libet asperere, nunquam p̄fecto amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit, & dolat, qui etiam iniuriis videtur dolore sanandus. Asper hoc sit terrena ista Reipubl. praecepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerantur, ut ad pietatis, iustitiaeque pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quae penalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. Principem quidem ajunt omnia bona hostibus optare posse, praeter bonam mentem: omnia n. bona, si mala mens sit, inimica fiunt. Ego vel precipue bonam mentem optari velim hostibus, ea enim si praediti sint, amicerunt, nisi sint iure hostes. Itaque illa praecepta mansuetudinis Christianae, nec iudici manus ligant; ne in maleficos animaduertat, nec Principi, ne hostem perimat, sed hoc monet ne publice, nec priuatim, ira, odio, ultionis dulcedine saeuiamus, aduersa patiamur, & si patientia nostra utilis est inuasori, eam corde, & opere teneamus, si nostra patientia ad maiorem injuriam ille irritatur: corde benevolentiam teneamus, opere medicinam asperiores ad moueamus, quemadmodum pater tam castigans, quam indulgens amore retinet. Suum cuique; jus manet, cedere Christianus in propria solet, in publica Princeps, interdum cedere consuevit, interdum opponere omnes vires regni, cum illud necessarium iudicat. Nec minus est hanc animi lenitatem regni a nobis, cum nec ciuitas, nec castra consistere possint, nisi multa multi condonent ciuibus & commilitonibus. Sed & in certamine atque ardore praelij ratio, non ira dominari debet, ita ipsi gentiles imperij Rectores decreuerunt. Senec. l. 1. de ira. c. 11. Quid enim est aliud, quam Barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborum communiatur, nisi in infestissima sibi?

gladiatoria quoque, ars tuetur, ira denudat. Deinde quid opus est ira, cum idem perficiat ratio: an tu putas venatorem irasci feris, vel cum & fugientes persequitur, & tremantes excipit? omnia illa sine ira facit ratio. Quid Cimbrorum, Theutonorumque tot millia superflua Alpibus ita suffulit, ut tante cladis notitiam ad suos non nuncius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute? quae ut aliquando perculit, strauitque, obuia, ita saepius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutrienturque: quorum unica illis cura est, in alia negligentibus? Quid induratus ad omnem patientiam, ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum, praesa sunt, non suffugia ad perpetuum caeli rigorem. Hos tamen Hispani, Galli, & Asia, Syriaque, molles bello viri, antequam legio visatur, cadunt: ob nullam rem aliam, quam ob iracundiam. Eam ob causam id quoque periculosum est, pugnaturs potionem miscere, quo mente quodammodo alienentur, ne pericula sua sentiant. Turcae opio vtuntur, quod allucis furorem aliquem concitat, quod tamen perniciosum est, cum ad curandum, accipiendumque imperium minus idonei sint, quos rabies, non ratio ducit. Bellum ergo geret Princeps animosus; cum latrone enim armis, non decretis agendum est. Milites sunt virium munimenta, & nerui regnorum, sine arte militari quicquid acquiritur, ad hostem pertinet: quia defendi non potest. Cicero pro Murena id satis ostendit. Rei militaris virtus praestat ceteris omnibus: hac nomen populo Romano, hac huic urbi eternam gloriam peperit: hac orbem terrarum parere huic imperio coegit: omnes urbanae res, omnia hac praecleara nostra studia, & hac forensis laus & industria latent in tutela ac praesidio bellica virtutis: simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostra conticescunt, quod sit ita est, cedit, opinor, forum castris, otium militiae, stylus gladio, umbra soli: sit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ipsa ciuitas est omnium Princeps. Quam cordi fuerit res militaris fortibus viris, & amantibus Reipubl. docet David ipse, qui triginta fortes, praeter exercitus habuit. Oraculum diuinum est, nisi militiam colant Reges, regna interitura. Auferam sortem, & virum bellatorem, iudicem Prophetam, & effeminati dominabuntur eis, & corruet populus. Itaque cum Principes imbelles plures sibi succedunt, aut vnus effeminatus acres habet aduersarios, diu stare Reipubl. non potest. Signum etiam est pessime Reipubl. constitutam, si in ea sit neglecta ratio militaris, ubi n. non sunt bonae leges, bona arma esse non possunt. Reitaque militaris cura Principi necessaria est, omnis regio peragrandi, montes, flumina, urbes, portus considerandi; nam inermis inter armatos tutus esse non potest, inermem omnes infestant, armatum metuunt.

CAPVT IV.

Iustum bellum esse oportet, & ab eo, qui ius bellandi habet, indicti.

§. 1. Sanctus Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. Tres conditiones requirit, ut bellum sit iustum. Prima est, ut sit legitima Principis auctoritas; altera, ut iusta sit causa, quae ad bellum impellit. Tertia ut iusta sit intentio. Quas ego quaestiones ordine disputabo.

§. 2. Cum Principum varia sit potestas; alij superiorem nullum habent, alij ita mittuntur a Regibus, ut prouincias gubernent, ut tamen rem bellicam non attingant, merito quaeritur in cuius potestate sit bellum decernere?

Constat autem belli indicendi ius in ipsa Reipub. quae perfecta est, nec ab alio superiore Magistratu ius accipit, residere. Respublica enim perfecta est, quae sibi sufficiens est, seu a vtriusque, ut tueri se abique aliena auctoritate possit; ad hoc autem necessarium est, ut arma inferre possit, cum alio modo ius obtinere non

Rat potest.

Perfecta Respublica bellum indicere potest.

Hostium utilitati seruandum in bello.

Ratione non ira bellandum.